

Cap. 17 [De^w visione monachi Fuldensis in obitu praedicti Gotfridi de Merenbergh]

Nova lux Iudaeis oriri visa est, cum ad preces Hester reginae ipsi a mortis periculo liberati viderunt Mardochoeum regalibus insigniis adornatum, laudatum et honoratum voce praeconaria et in mula regia, inimicum vero Aman suspensum in patibulo⁹. Sicque nova laetitia orta est angelis et hominibus, cum ob intuitum reginae caeli Mariae virginis confessor domini Gotfridus ad caeli fastigia sublimatur et iniqua pars propulsa confunditur. Cum felix ille Gotfridus solutis vinculis corporis solium conscendit ad arduum, comitantur et occurrunt reginae caeli conducenti^x eum caelicolarum agmina diversa in citharis, timpanis et organis concrepantia. Hoc caeleste melos pertingens usque ad caelos in nostro hemisphaerio se longe lateque diffudit. Unde factum est, quod, dum eadem hora quidam monachus devotus ecclesiae Fuldensis¹⁰ abbatiae regalis in sua cella oraret, caeleste melos pariter audiret. Et dum orantis ex corde erupit devotio, in id ipsum cor reliditur organorum caelestium dulcedo. Elevato igitur corde et vultu conspexit in magna claritate candidorum turbam iuxta cellam suam praetereuntem et audivit vocem iubilationis continuantem. Et cum interrogasset unum de eadem turba, quid hoc esset, responsum est ei: „Hic Gotfridus verus christicola et reginae caeli fidelis assecla perducitur ad caeli fastigia. Ipsa quoque susceptrix animarum Maria ipsum conducit, cui omnis caelestis curia obsequitur et deservit.“ Signavit ergo monachus iste diem et horam et misso nuntio sicut audivit ita et in veritate invenit. Sic itaque mater misericordiae, quae omnibus peccatoribus dignatur adesse ad succurrendum, paratissima affuit devoto suo famulo ipsum ad caelos conducendo. Cuius vero dignitatis sit apud deum iste venerabilis Gotfridus, dilecte lector, reperies, si visionem beati Conradi praenarratam et auditionem huius devoti monachi quasi duas manus comploseris. In visione namque beati Conradi virgo Davidicae stirpis Maria velut mulier amicta sole sinistra manu in transitu beati Gotfridi fugavit daemones et in auditione Fuldensis monachi eadem beata virgo Maria velut mulier fortis de terris usque ad caelos portans mercatum suum, animam beati Gotfridi, dextera manu perduxit ad gaudia paradisi. O si regina

w) *davor gestrichen* Monachus Fuldensis W₁. x) conducentis W₁.

9) Vgl. Est. 7-8.

10) Zu den Beziehungen zwischen dem Benediktinerkloster Fulda und Haina vgl. UB Haina 1 (wie S. 20 Anm. 20) Nrr. 476, 579, 651-652, 682, 738, 762.